

Cur quartum praeceptum primum locum obtinet in secunda tabula?

Cum secunda tabula ordinet societatem humanam, pulcherrimo ordine primum constituantur gubernatores et personae atque officia in communi societate apte distribuantur. Et orditur vox diuina a primo gradu gubernationis videlicet a parentibus, qui<sup>c</sup> debent esse regula aliorum gubernatorum, constitutis autem gubernatoribus, qui sunt custodes disciplinae in communi societate, postea sequuntur praecepta, quae arcent singulorum iniurias. 5

Quae sunt virtutes pertinentes ad quartum praeceptum?

Virtutes quarti praecepti sunt pietas parentum et liberorum mutua, iusticia vniuersalis in gubernatoribus et in subditis, iusticia coniugum inter sese, sedulitas.

10

Quae sunt officia parentum?

[24:] Paulus ad Ephesios 6 insigne praeceptum tradit de officijs parentum: „Educate liberos vestros in doctrina et disciplina domini.“<sup>43</sup> Vult igitur patres-familias suaे familiae praestare non solum nutritionem et defensionem, sed etiam communicationem doctrinæ de Deo et assuefactionem ad exercitia honestae gubernationis vitae et 15 morum.

Quae sunt officia gubernatorum?

Magistratus debet esse custos totius legis, quod ad externam disciplinam attinet. Primum igitur debet sonare vocem legis moralis in genere humano et proponere summas et immutabiles leges prohibentes idola, blasphemias, periuria, iniustas caedes, vagas 20 libidines, furta et fraudes in contractibus et iudicijs. Secundo suas quasdam leges ferre potest, non pugnantes cum iure naturae, quae sint et probabiles et vtiles ad conseruandum statum reipublicae. Tertio sit magistratus executor diuinorum et suarum legum in puniendis violatoribus. Quarto defendat obedientes contra iniurias improborum iuxta Pauli dictum: „Sit timori malo operi et honori bono operi.“<sup>44</sup>

25

<sup>c</sup> Korrigiert aus „quae“ nach E.

<sup>43</sup> Eph 6,4.

<sup>44</sup> Vgl. Röm 13,3.